UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingae, Anno M.DC.LXXXX.

§. III. In quibus causis juramentum deferri possit vel etiam debeat, sive à parte, sive à Judice, & in quibus non possit?

urn:nbn:de:hbz:466:1-61687

Visual Library

§. II.

Vtrum, cum à Iudice, ob inopiam probationis, in causâ dubia iuramentum defertur, illud Reo ad purgationem sui sive innocentiam suam demonstrandam, an verò Actori in supplementum probationis deferri debeat?

NOn potest certa regula generalis hac in re tradi, sed Iudicis arbitrio ex perspectis prudenter circumstantiis res relinquenda est. Uti colligitur *ex cit. c. Iuramentum* §. *sanè h. t.* ordinariè quidem, & cæteris paribus reo potius deferendum erit à Iudice juramentum, si actor probavit causam suam semiplenè, cùm favorabiliores sint Rei partes, qui etiam sine juramento absolvendus est saltem ab hac instantia, si actor nihil probavit: si tamen actor semiplenè probavit, nihil contra eum probante, sed tantùm negante reo, juramentum defertur actori, qui de jure suo probavit aliquid, cùm alter nihil probaverit. Plura ramen attendere debet Judex in hoc juramento deferendo. Primò, ut fiat præmissâ causæ cognitione. Secundò ut actor semiplenè probaverit. Tertiò ne deferatur hoc juramentum ei, qui cognitionem rei non habet. Quartò ut is, cui defertur, non sit persona vilis aut infamis, sed fide digna, & honesta, nec suspecta de perjutio. Quintò ut causa non sit ardua; & magni momenti, in qua non defertur juramentum hoc &c. Posito tamen, quòd actor plenè probavit per duos testes v. g. omni exceptione majores suam intentionem, reus tamen per unum testem contrarium semiplenè probet, non poterit reo in supplementum probationis plenè deferri juramentum, quia actoris plena probatio dedit semiplenam probationem Rei.

§. III.

In quibus causis juramentum deferri possit, vel etiam debeat, sive à parte, sive à Iudice, & in quibus non possit?

IN omni causa, in qua licitum est transigere, potest etiam à parte parti deferri juramentum voluntarium, quia tale juramentum vim transactionis habet: necessarium verò juramentum à Iudice in supplementum probationis ad petitionem Actoris Reo deferri potest in quavis quidem causâ, ob *L. in bonæ fidei 3. Cod. de Reb. cred.* Excipiuntur tamen primò causæ criminales, in quibus potest quidem Judex nonnunquam reo, ad probandam suam innocentiam juramentum deferre, si actor non sufficienter probavit crimen, nunquam tamen actori seu accusatori in supplementum probationis, cùm in tali casu, si criminaliter agatur, debeant esse probationes luce meridianâ clariores *Leg. ult. Cod. de probat.* Excipiuntur secundò Causæ famosæ, & arduæ, quamvis his in causis multùm possit Judicis arbitrium. Tertiò excipiuntur causæ matrimoniales, in quibus regulariter juramento suppletorio locus non est.

§. IV.

An, non solùm ad petitionem partis, sed etiam ea non petente juramentum suppletorium deferri possit à Iudice, & de tempore, quo illud deferendum est.

AD primam quæstionem &c. non tantùm posse Judicem hoc facere ex